Epistola Consolatoria,

Ad

Amicum Certissimum,

HENRICUM PROCHNAVIUM,

Lipsiæ sacris literis incumbentem,

Qua Matris *suæ*

MARIÆ PROCHNAVIÆ

Matronæ multa pietate Conspicuæ

rarique exempli Fœminæ

inopinatus obitus significatur.

Festinanter concinnata & transmissa.

THORUNII,
Impressit JOHANNES LUD. NICOLAI.

Amice Exoptatissime!

TRisti admodum ante hoc triennium mihi, cum Halæ Magdeburgicæ literis operam navassem, nuncio Lipsia approperasti; Sororem germanam eamque charissimam pariter ægram pariter decessisse denuncians. Infelicissimus proh! & ego jam tibi absenti ac imminentis cladis nescio, quod vel maxime dolorem exulcerat, obitum inopinum Matris Optimæ ac Desideratissimæ per literas refero. Cogito, quam magno id dolori Tibi sit pro flagranti illo affectu ac pietate, qua mutuo vos complectebamini, eo maxime, quod nec euntem in finem suum videre, nec satiari aspectu novissimo, ne obire quidem solennia pietatis præsenti licuerit. Majus namque habetur solatium in illo, quem lenti ac leviori morbo paulatim consumtum morbus ipse conficit, ubi decumbenti ex valetudine assidere, ægritudinem Ejus pernoscere, dolori etiam spe & metu consvescere datur; quam in illo, cui repentina mors & tanquam immatura elidit spiritum, ubi vix ipse se sentit mori, & qui sunt circa eum, attoniti rem prope intelligunt. Inconsolabile prorsus ac durum existimaveris, quem faustis ominibus cogitaveras jamjam conveniendum, hunc ex insperato, dum maturas iter, infausto nuncio mortalium cœtui audire excmtum. Sane ex illo gaudio, quod paulo ante conceperat, subito residet animus, & quem plenus lætissimæ spei ac fiduciæ dimiserat, recipit luctum. Eheu quam magno anhelavit gaudio Mater Tua, quum Te reducem brevi hilari mente amplexurum recordabatur! nec minus mortis habuisset solatium, si quoque in Tuo, Filii Dilectissimi, complexu spiritum ponere contigisset. Multo desiderio Tui moribunda languebat, næ & Tu interesse vel ultimis sermonibus deficientis optaveris, eo magis quo propius accessisti ad spem fruendi. Geminatur inde luctus, superantur tanta jactura ipsa, quæ Tibi adhiberi possunt, solatia, & frustra forte afferuntur, cum dolor adhuc crudus sit & nulla sui parte lenitus. Erat quidem & annis jam & corpore gravis, quinquagesimum

quippe

quippe excessit, nec satis firma valetudine usa est. Sed & Parentes vietos aut annis fractos viribusque exhaustos & sibi ipsis graves, bonæ indolis Filii deplorant, dum amorem & merita sibi grata mente revocant in memoriam. Matronam certe in exemplum emendatæ vitæ natam dixerim, multa pietate virtuteque sexus sui conspicuam, quæ nihil prius, antiquius nihil habebat, quam ut anima viduata olim corpore, quo nunc recepta est loco locaretur. Morbus quo vitam finiit apoplexia erat, qua tacta paulo post extincta fuit: Ergo necessitatis ultimæ legem subiit subito, quam alii inter diuturnos ac varios cruciatus anxie satis expetunt, adeoque non tam mori, quam somno decedere videbatur: Proinde revoca suppressum fere spiritum, & quibus tutissime acquiescere poteris, è Verbo DEI, Ipse Sacrarum literarum Studiosissimus, pete solatia, quorum sensum dolori, quem sentis gravissimum, resistendo parem apprecor, simul ac Spectabili Domino Parenti & Propinquis vitam, quam late potest produci vivendo, longissimam voveo, ut nullus porro Familiam tuam funestet luctus divinum Numen oro obsecroque. Vale ex voto & age feliciter, atque optimarum rerum notitia probe imbutus tandem sospes redi. Scribebam Thorunii, XV. Kalend. Decembris MDCCIX.